

funderentur, cum plurimæ & diversæ eundem prope soliditatis gradum posideant. Adde quod differentia illa eâ, quæ ad hoc expe-  
citur, exactitudine & facilitate observari & deprehendi vix pos-  
sit, ut determinati inter summam & minimam duritiam, gradus  
habeantur. Alicujus tamen usus esse explorationem duritiei Gem-  
marum limâ, in arte jam effiguratis & lævigatis, non negavero;  
ast illæ certò quæ nativâ adhuc figurâ gaudent omnium optimè  
ex illa fortè discernerentur: tribuit enim iis Natura determinatas  
& proprias figuras, quæ Charakteris loco nobis essent, ex quo evi-  
dentijs magis agnoscerentur: atque juxta exemplum periti illius  
Gemmarii apud Boyleum, qui Adamantes probos unicè ex confi-  
guratione dignoscere solitus erat, distinguerentur.

Verùm quia rarij ad manus nostras pervenient Gemmæ nati-  
va sua figura etiamnum guadentes, & illico ex Fodinis in Offi-  
cinas transportari consueverint \* ubi primigenia facie detrita,  
nova artificialis inducitur, rariores & paucas admodum habe-  
mus notatas observationes, quibus illarum naturalis figura inno-  
tescit. Illæ, quas hîc tradimus, circa minores Gemmas factæ  
sunt, tum armato tum nudo oculo. Et quia majores ut pluri-  
mùm in pluribus aut aliquibus saltem illarum partibus mancæ  
sunt & mutilæ, minores aptiores fuisse credimus, cum earum  
figura completa magis sit, & Plinii sententia hîc quoque valeat.  
nullibi magis quam in minimis totam esse Naturam. Gemmis  
adjungimus alia etiam Lapidea, tum quia speciali & circinata fi-  
gura dotata sunt, aut perspicua, tum quia vel certum est, vel ve-  
risimile saltem, illa Crystallisationibus esse producta.

\* Taver-  
nier Vogay.  
des Indes  
L.2.6.15.

Metallicas crystallisationes non infrequentes esse ex variorum Crystalli-  
exemplorum, quæ subjungemus, enumeratione patebit, cum sata Me-  
enim ex successiva particularum adaptatione, ut crystallisationes tallica.  
reliquæ, exsurgant, meritò statuitur primigenias earum particu-  
las determinatæ etiam figuræ esse, quæ deinde in certo modo  
formata corpora, seu Crystallos metallicos, si quandoque liberio-  
rem sese coaptandi occasionem naestæ fuerint, abscedant; quem-  
admodum salibus accidit. Variantes autem figuræ in eodem me-  
tallicæ speciei mixto, ab aliis adventitiis particulis, quæ combi-  
nationis modum diversimode alterare possunt, dependent. Sunt  
autem qui metallicas aliquas crystallisationes nobiliore mechanis-  
mo fieri credunt; vegetatione videlicet, plantarum instar, illas  
in primis, quæ ramosæ sunt, enasci. Ast quia in iis vegetantibus  
reliquis analogæ organizationes demonstrari non possunt, minus  
aptè vegetare pronuntiantur: & vix aliter concrescere illas credi-